



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De ingenuis in libertatem vindicandis, qui ad muliebria opera, vel etiam
seruitutem addicti erant. Cap. XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*Pro confessoribus ad rei militaris pristina munia restituendis,
vel eorum donanda si vellent immunitate.*

CAP. XXXIII.

Illis item, qui iam olim honoribus militaribus donati, ab eisdem iniusta & iniqua de causa deiectione (nepe quod confessionem in deo verè cognoscendo illis dignitatis ornamentis longè prætulissent) libera detur optio, vel rei militari se dedendi, quo in pristino vitæ modo permaneant, vel cum honorata libertate, libere & pro arbitratu vitam degendi. Rectum est enim, & rationi consentaneum, ut qui in periculis ipsis illatis, tam egregiam animi magnitudinem, & tolerantiam declarauerint, integram habeant potestatem, tum otio, tum dignitate libere pro animi sui sententia perfruerent.

De ingenuis in libertatem vindicandis, qui ad muliebria opera, vel etiam seruitutem addicti erant.

CAP. XXXIII.

Porro autem, qui nobilitatis suæ amplitudine vispoliati, talem quandam iudicum sententiam subierunt, ut vel in gynecæa, vel in textrinas intrusi, durum & miserum laborem sustinerent, vel ut cellæ pænariorum ministri fierent, quò nihil superior illorum ortus ipsis adferret subsidii, hi quoque honoribus, quibus antè fruebantur, & libertatis beneficio potiti, & ad pristina dignitatis ornamenta restituti, deinceps hilari & læto animo vitam degant. Qui item de libertate sit in seruitutem datus, quiq; se iniqua & inhumana cuius alicuius vecordia ministeria ipsi insueta obire coactum esse secum admodum deploret, & seipsum pro libero seruum ex improviso factum intelligat, is in libertatem priorem nostro edicto vindicatus, se parentibus similem efficiat: exerceatque labores libero homine dignos, & cogitationem seruilium illorum munerum parum sibi accommodatorum, quæ antea perpeffus fuerit, penitus ex animo debeat.

Qui